


Resp Pj p1 B42

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D.
ANNÆ ANTONIO JULIO CLERMONT-
TONERIO,
ARCHIEPISCOPO TOLOSANO DIGNISSIMO,
PARI FRANCIE,
GRATULATIO HISTORIALIS,
DE FELICI ADVENTU , DEQUE INGRESSU PONTIFICATUS SUI ;
EIDEM DICATA
A MICHAELE MARIA OLMO , DOCTORE THEOLOGO ,
ECCLESIAE BESSIERENSIS RECTORE.



TOLOSÆ ,
APUD MARIAM JOSEPHUM DALLES , D.D. ARCHIEPISCOPI
TYPOGRAPHUM.

1820.



ДОМАШНЯЯ БИБЛИОТЕКА
СЛОВАРЬ ОБЫЧИЙ И АКЦІИ
СОВЕТСКОГО СОЮЗА
ПРИ ПУБЛІКАЦІІ
СТАНДАРТІВ
ІМЕНІ ВІКТОРА ЧУДОВОГО
ІМІГРАНТІВ
ІМІГРАНТІВ
ІМІГРАНТІВ
ІМІГРАНТІВ

ТОЛОДІ
ВЛАДИМИР Іванович ДУЛІБА, Д.Д. ТОЛОДІ
ГІДРОГРАФІЧНИЙ

1820.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D.
ANNÆ ANTONIO JULIO CLERMONT-
TONERIO, Archiepiscopo Tolosano
dignissimo, Pari Franciæ, Gratulatio
historialis de felici adventu, deque
ingressu Pontificatûs sui;

EIDEM dicata à M. M. OLMO, Doctore Theologo,
Ecclesiæ Bessierensis Rectore.

CLARA illa, triumpho tuo, et Religionis, dies, Antistes venerande, in quâ, post octo ab adventu transactis in recessu sancto cum Clero, initium publicè consecrâsti Apostolatûs tui inter nos, cùm digna omnibus visa sit, cuius memoria, in laudem et gloriam Dei, tuique Pontificis ejus, necnon utilitatem Ecclesiæ suæ sanctæ, inter fideles conservetur; cùmque ipsa Christi sponsa filios suos ad confitendum misericordias Salvatoris usquequaque invitet, universos excitans, ut quisque quantùm poterit audeat, quia nempè major est omni laude bonitas illius; liceat mímino inter tuos Sacerdotes multorum fratrum exprimere etiam scripto vota, ac tibi et Tolosano Dioecesi de tanto bono cœlesti gratulari : et quando eorum plurimis non licuit, qui ob sollicitudinem suarum aliorumque ecclesiarum custodiebant vigilias super gregem Domini, solemnitati nostræ interesse, habeant saltem, his pagellis, memoriale quoddam alterum et monumentum initii Pontificatûs tui, sanctæque lætitiae dierum illorum, quam sanè jam verbis pastoralis postremæ Epistolæ tuæ, diei xx octobris, cognoverunt, sed tamen accessio hæc testimonii nostri non infirmabit.

Nam felices illi pastores qui, nuntiantibus Angelis, primi, utpote humiles et mundo corde, Salvatorem hominum venerati sunt in cunabulis,

reversi sunt, secundum Scripturam; (1) *glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum fuerat ad illos.* Quæ verba, Antistes venerande, Sacerdotibus tuis, pastoribus dominici gregis, à me hinc applicari rectè ac legitimè posse, satis tu ipse cognoscis, satis, ac non sine gaudio sentis. Et verè postquam et conspectu tuo, inviti ac fermè mœsti discessimus, et per vias, et nostris domibus, et in fidelium cœtibus, apud ipsum illum Deum, qui vocavit nos in ministerium Evangelii sui, eidem gratias egimus, misericordiasque ejus fideles collaudabimus, pro omnibus quæ reddidit nobis; scilicet pro his quæ in sancto hoc sacerdotalis pietatis recessu, cum ab ore tuo accepimus, tum à voce oratoris, omni Galliâ, extraque famigeratissimi, audivimus; simul pro tuo desiderato adventu, tuâ societate ac contubernio, quo per octiduum sub tecto eodem usi sumus; demum pro cæteris spiritualibus gaudiis, quibus nos sancta hæc hebdomada, in æternum memoranda, præsertim verò dies illius ultima, cumulavit. Siquidem concurrunt jam plurima, Archipræsul Sanctissime, ut omnium vox est, quæ initium Apostolatus tui commendent, illustrentque, et apud nos clerum tuum, et apud fideles omnes, non tantum Dioecesis, sed Ecclesiæ totius Dei.

Et primò magnum hoc fuit, quanquam sapientissimi ac providentissimi Regis consiliis admodum consentaneum, civitati nobilissimæ ac fidelissimæ, sanctissimæ Tolosanæ Ecclesiæ tantum diligere virum, tales quem decebat nempè Pontificem; *naturâ prudentem, (2) famâ candidum, moribus temperatum, virtute castum, victu sobrium,* litteris divinis humanisque peritissimum, impollutum ab infidelitate, segregatum à peccatoribus, probatum in tribulationibus, exercitum laboribus Apostolatus, prænobillem atavo genere, divitem virtutibus, dignitate Collegii Parium Franciæ conspicuum, atque etiam identitate cognominis cum summo Pontifice Romano clarissimum. Cujus quidem tuæ designationis, Antistes venerande, quæ celox fama ad usque extremos Provinciæ tuæ angulos advolarit, quantâque populum tuum letitiâ afficerit, testimoniijam certe multorum et litteris cognovisti, nos tamen vix exprimere poterimus. Luxeramus namque ingenti dolore, per annos tot, viduitatem Ecclesiæ nostræ, vas-

(1) *Luc. c. 2. v. 20.*

(2) *Decret. Gratian. Can. Qui Episcopus, distinct. 23.*

tissimique Dioecesis, atque enixè orabamus Omnipotentem auctorem et consummatorem fidei, sicut opportunè coram te exposuit doctissimus Parochorum Tolosanorum Decanus, concederet nobis venerandum unum ex antiquis illis Gallicanæ Ecclesiæ Episcopis, quorum Europa tota, longo tribulationum curriculo, admirata fuerat fortitudinem, mansuetudinem, constantiam; quin et desiderium ipsum videndi illustrissimum antecessorem tuum Dominum Franciscum Bovetum, postquam ille, illustris quoquè ac humilis Christi Confessor, tantis legitimis causis à tam gravi munere abdicavit sese, in majorem transierat tristitiam. Et regebant interea commissum illis populum tuum, vigilanter rectissimèque, hi præpositi sapientissimi, quos tu idem providens nuper confirmasti, affectuque sollicito viduatam fovebant Saturnini Ecclesiam. Quis tamen satis enarrare sufficiat quam fideli desiderio Pontificis sui adventum concupiverint? Sive quis non meminit quanto cum ardore et privatim, et publicè, et in omnibus epistolis suis ad ecclesias, fideles excitaverint, ad obtinendum communibus precibus, ab æterno lumen patre, orbo gregi pastorem? Adeò ut non minus meriti de Ecclesiâ debeat censeri, propter fideliter administratam, tanquam à prudentibus dispensatoribus, Domini familiam, quam quod orationibus suis tantum nobis asciverunt Antistitem. Hodiè autem, ut cedunt lucro, Domino volente, damna, salutarem audemus appellare illam moram, quæ hujuscemodi demùn boni possesione debebat reparari.

Igitur Apostolicis Romani Pontificis litteris confirmatus, Saturninus alter, ab ipso solio Piscatoris ad Tolosates divinitus dirigendus, sicut in Martyris ipsius templo nobis edisseruit eloquentissimus præparator Dechiezius, sine ullâ cunctatione, imò ardore caritatis urgente, cito gradu ad commissum advolas gregem. Nempè nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia, neque illas pati potest retardationes apud strenuos milites Christi, urgentis Apostoli mandatum; (1) *Labora : vigila : ministerium imple : opus fac : insta, opportunè, importunè.* Verum necessariam itineris moram anteverttere cupiens, absentiae ex amore impatiens, per pastoralem epistolam, spiritus tui nuntiam, Ecclesiam tuam, ordines omnes, popu-

(1) Ep. ad Timoth. 2.

lumque recreasti atque erudiisti ; tanquam timens ab supremo illo mundi gubernatore, judiceque sæculorum , in tremendo rationis die, posse redargui , si ullum jam in omni vitæ tuæ cursu inveniretur spatum , à sollicitudine vacuum pastoralis tui, etiam longè absentis , officii. At quale nobis documentum misisti doctrinæ et pietatis ! ubi sæpiùs ac iterùm sensa tua , monitiones, consilia , caritatem considerando , et meditando , quisque nostrum augeri in se facile percipiat vires , ad portandum in vineâ Domini pondus diei et æstus.

Et sanè Divus Paulus cùm ad fideles Corinthios de virginitate multa, ac de matrimonio , indissolubilique vinculo ejus, scripsisset , quanquam optimè sciret à favore non se excludi divinæ veracitatis certitudinisque, his promissarum qui Dei legationem funguntur, dicente Christo Domino : *Qui vos audit, me audit;* tamen humiliter de se sentiens , ac simul doctrinam illam salutis magis apud suos fideles volens commendare : (1) *Puto,* inquit, *quod et ego spiritum Dei habeam.* Quo dicto, si tu eumdem sermonem ussurpâsses, ô Antistes , in Epistolâ illâ tuâ , certè non ivissemus inficias. Quis enim audeat cogitare tam grave adeò doctrinæ monimentum à voluntate tantum humanâ, sine plurimâ spiritûs Domini suggestione profectum ? Quid enim est aliud fidelis ille sermo tuus, nisi compendiosa quædam sacerdotii regula, præcipue verò Episcopatûs ordinis , munera complectens et explicans omnia ministrorum Christi , ergà singulos gradus Ecclesiæ ? Sic Vicarios tuos , sic Metropolitanum Senatum , sic Parochos omnes Dioecesis alloquens , ad societatem laborum hortaris , ad amoremque invitas tuum ; mox segregatos , si qui fortè sint, ab spiritu unitatis , (qui vis nostra tota est et salus ,) mitissimè ad recipiendum compellis ; denique errantibus viam , dubitantibus veritatem, fragilibus fiduciam , laborantibus promittis solatia. Quantâ vero eloquii suavitate id expresseris, quam doctè, quam ex instituto Christianæ dilectionis, ac modestiæ , sentiri melius , quam dictis describi potest. *Id unum maximè desiderans,* (2) ita ais, ô venerande Præsul , exhibere me in medio vestrum tamquam alterum ex vobis ; honorabo in singulis ministerium nostrum , neque ullam exercebo apud vos dominationem , præter caritatis ,

(1) Ep. ad Corinth. 1. c. 7.

(2) Lettre Pastorale du 27 Septembre.

nullam vim , nisi persuasionis.... O digna Apostolorum successoris verba ! ô mirandam tuam , sive potius Redemptoris nostri , quem imitaris , mansuetudinem ! ô felices populos , quibus talem habere Doctorem et Pontificem concessum est !

Et verò per quām opportunè Sacerdotes edocens circa necessitatem doctrinæ , de quorum ore , nempè , legem requirere debent populi , in inimicos illos veritatis invehēris , qui cognitionem et amorem Dei cum cæteris scientiis utilibus necessariò intimèque conjungi , semperque copulata fuisse , præcipuè autem post promulgationem Evangelii pacis , vel non intelligunt , vel nolunt intelligere . Qui , si tantisper à lectione corruptorum , sibique semper discordantium scriptorum , cessantes , ad hanc Epistolam tuam , aliaque hujuscemodi veritatis catholicæ documenta , oculos animi vellent semel intendere , profectò *præiosum à vili* aliquando tandem discernere valerent , et separare ; neque manifestatam Dei voluntatem , *studiosamque veri Fidem* , cujus assertores fuere illi omnes memorabiles viri , à te numerati , aspernarentur .

At sollicitat te jam , ab ipso limine Pontificatus tui , Seminarii cura , decetque in primis , post confirmatos veteranos militiae Christi , ad tyrones conscriptosque Sacerdotii curas extendere ; *diligentiam omnem tuam illuc referens* , ut ex freqnētissimo Tolosano Seminario , Collegiisque , non minùs electæ numerosæque manus , quām olim , te duce , ex Catalaunensi , prodeant operariorum , in messem Domini mittendorum . (1) Siquidem , ut ait Divus Ambrosius ; (2) *quia multæ sunt tenebræ , multæ sunt lucernæ necessariae* . Spes læta prorsùs omni populo , cunctisqne tuis Sacerdotibus , sed his ex nobis potissimum , qui ut multò major pars est , in talibus Ecclesiasticis domibus ferè omnes juventutis annos transegimus , plurimaque promeruimus litterarum , disciplinæque clericalis stipendia .

Denique , Antistes venerande , nullum fuit pietatis genus , nullum munieris officium , nullus conditionis status , à te in Apostolicâ hac monitione prætermisssus . Tu dilecto gregi Domini , agmini sponsorum virginum Agni , robur ibi addis verbis tuis et gloriam ; tu fidelissimæ Provinciæ Legatos clarissimos , integerrimos divinarum humanarumque legum defenso-

(1) Lettre Pastorale.

(2) Expositio in Ps. 118.

res, meritis extollis laudibus; tu selectarum foeminarum in derricktos infantes, sub auspiciis regalibus Fundatricis Principis, caritatem foves excitasque; tu infirmos sublevas, tu pauperibus, pro viribus tuis, auxilia oppignoraris; tu, sicut mediatorem apud Deum Patrem, immolantem pro populo tuo sacrificium laudis, te offers, ita et apud clementissimum Regem nostrum, quem Deus sospitet salvumque faciat, patronum pro nobis te profiteris. Per te Tarnis et Garumnae provinciae fidelibus, sicut et Aurigenae, spes additur in brevi eos, designatos sibi Episcopos, juxta piissimi Regis desideria habituros. Per te membra omnia Ecclesiae Christi Domini ad amorem compelluntur et reverentiam erga sanctissimum illum columen fundamentumque Fidei et veritatis, Supremum Pontificem Romanum, cui et Episcopatus vinculis, et remotâ insuper identitate originis connecteris. Itaque, Dominus conservet eum, et vivificet, et beatum faciat; tibi vero etiam tribuat secundum cor tuum, et omnia sancta consilia mirabilis pastoralis Epistolæ tuæ, ad suam gloriam, et salutem ovium tuarum, confirmet.

Et talis quidem apparuisti nobis Pontifex, et Doctor, et Magister, adhuc absens; cum autem primum adveneris, etiam famam tui, et expectationem¹, et spes nostras prætergressa est haec tua bonitas et sollicitudo. Enim vero cum jam satis esse potuissest, tuum munus ingrediens, Ecclesie tuæ Tolosanæ dicere et testificare de te, sicut Thessalonicensibus Divus Paulus: (1) *Nam ipsi scitis introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit, sed ante passi, et contumeliis affecti; tamen exemplum alterum virtutis modestiaeque tuæ omani populo, et quidem memorandum, præbuisti, cum, uti jam Lutetiâ, ante susceptum iter, decreveras, ita urbem intrasti Metropolitanam, amplissimæ dignitatis, principatusque tui sedem, tanquam si ad obscuritatem privatæ conditionis, ad silentium, et clausuram, et humiliis cellulæ exiguitatem; non ad fastigium spiritualis regiminis in magnâ civitate, lectissimâque Provinciâ vocare.* Consilium, enim vero, magnitudine tuâ dignum et pietate; quod si in omni Galliâ fortasse haud inusitatum, tamen in Tolosanâ urbe novum singulareque est. Quis enim cogitasset, venerabilem nobilissimum senem, corpore haud ita robusto, ætate provectum, longis Apostolatus difficillimi periculis, laboribus, per-

(1) Ep. 1. c. 2.

secutionibus fractum , post longi itineris lassitudinem , in sedem advenientem Pontificatus sui , paratamque pro dignitate domum , neque honores cogitantem , neque gratulationes adventus festinantem , neque otium saltem necessarium providentem , id unum cupere , curare , perficere potuisse , ut inter Sacerdotes suos , gregis forma factus , ab omni mundo tumultu segregatus , soli Deo vacaret , per dies octo orationi intentus , ac meditationi annorum æternorum , atque vires à Domino postulans ad novi Pontificatus munera sanctè obeunda ? Nimirum est ingeniosa maximè ac operosa caritas , et noscit opportunitates omnes agendi , et bonis etiam operibus præesse , ut fructuosiora sint.

Unde cùm ministerii tui magnitudinem considerâsses , ad singulaque ejus munera cogitationes tuas protendisses ; nempè tantarum ecclesiarum gubernatio , Presbiterorum institutio , operariorum in messem Domini missio , fidei depositi custodia , evangelizatio pauperum , contritorum corde conversio ; conferendo jam ad vitam Redemptoris institutum tuum , et cum illâ missione Divinâ Filii Dei eum aliquomodo comparando , armis orationis te præmiunire per dies aliquot decrevisti , ad illius exemplum , qui antequam Ecclesiam stabiisset suam , duodecim Apostolos suos designaturus ; (1) erat pernoctans in oratione Dei . Et species tibi , Christiane Præsul , dabatur , forma præscribatur , quam deberes æmulari . Quid enim te pro salute tuâ , oviumque tuarum facere oportet , (agnoscis Ambrosii verba ,) (2) quando pro te Christus , ferè simili casu in oratione pernecat ? Quid te facere convenit , cùm vis tantum pietatis officium adoriri , quando Christus , missurus Apostolos , prius oravit ? Et sicut ille testes doctrinæ , virtutis , ac divinitatis suæ , notos sibi et cognatos , conjunctosque societate contubernii et virtùs habere voluit , itidem tu , communione victus , et domicilii cognoscere melius voluisti tuorum populorum rectores , et ab illis cognosci , et proprius possideri , et sic amari propensius . Quos autem opimos jam collegeris fructus consilii tui , et universalis gaudio manifestum fuit , et tu ipse melius nôsti ; sed et in dies majora percipies . Nam præter alia : (3) Errantem ovem , quam nocte quærebas et die , jam portas inveniam , suo gaudens ovili reddere .

(1) Evang. Luc. c.

(2) Homil. in Luc. lib. 5.

(3) Hymn. Ecclesiastic.

Et cùm recollectiones hæ, sive recessus aliquot dierum, innumeris de causis, Sacerdotibus Domini ab omnibus perfectionis doctrinæ Magistris commendentur, tanquam sint dies rationis ponendæ à Domino cum servulis suis de anteactâ vitâ, sacrumque otium, ubi in silentio, sanctos suos, mitigans eos à diebus malis, erudit Deus, ubiores eis gratias conferendo, uti defectus emmendent suos, fervorem renovent juxtâ dies juventutis, vitam ad æternitatem dirigant, de morte seriò cogitent, sicque de virtute in virtutem progredientes, et melius se, et sibi traditas animas sanctificare discant; tamen jucunditas atque exemplum conspectus tui, cariorem adhuc hunc recessum octiduanum nobis omnibus fecit. Non quòd è memoriâ exiderint, nec deleri usquam possint, grati illi dies, quibus, duobus ab hinc annis, eodem octobri mense, ab propositis vigilantissimis, anniversariæ olim, postea desitæ disciplinæ, instauratoribus, convocati, unius eorum fueramus doctissimis orationibus accensi ad pietatem, instructique in Sacerdotali scientiâ. Est autem cur Tolosana Ecclesia Deo Patri lumen insuper gratias referat, qui tam numero ac venerando Sacerdotum cœtui, et anno illo, sicuti nunc, adeò dignos deputaverit oratores, *operarios sanè inconfusibiles*, rectè tractantes verbum veritatis, ac sermone simul et opere potentes. Cùm itaque plurima hic conspirent ad pietatem spiritualis gaudii solatia, nempè instructiones eloquentes, lectiones selectæ, preces communes, meditationes veritatum æternarum, vespertini cantus, exempla mutua virtutum, amabilitatis, obsequii, fraternitatis, tamen harum omnium consolationum, ut dixi, præsentia tua, ô venerande Archipræsul, cumulum et corona fuit.

Verùm tamen tempus postulat ut versùs illam diem jam declinet oratio mea, in quâ, exactâ recollectionis spiritualis hebdomadâ, ab universo Clero tuo in primarium Dicēesis Templum, Divo Stephano Protomartyri dicatum, ductus fuisti; tanquam ibì publicè demùm et manifestè aperitus initia Apostolici Pontificatûs. Nec enim expedit sub modo diu occulta delitescere illa luminaria, quæ super candelabra statui dispositio voluit Patrisfamilias Dei, ut luceant omnibus qui in domo suâ sunt.

Itaque horâ conditâ, Sacerdotibus indutis superpelliceo, atque ab his superadditâ stolâ, qui spirituales duces sunt Parochiarum, venerandi cœtûs Orator Dechiezius ordinem dedit et signum eundi. Tùnc hymnum personantes

personantes Creatoris Spiritus, à quo omnis nostra debet incipere oratio et operatio, è magno Seminario in proximam Tolosanorum Apostoli Saturnini Basilicam transivimus. Ibi, post honoratam ad sepulcrum ejus memoriam Martyris, Orator dignissimus, cùm è suggestu eleganter multa aë scitè de Saturnini missione, deque tuo fausto simili adventu et virtutibus, in Dei gloriam enarrasset, tandem sacerdotalis ille, ac prorsùs venerabilis exercitus progredi, ordine præscripto, jussus est. [Antecedebat sanctum agmen militum Christi vexillum illud cœlestis Regis nostri, Crux salutifera, per plateas vicosque notos religiosissimæ civitatis, pacis et redemptionis mundi signum, fidelibus devotè adorantibus, ostentans. Sequebantur duplice ordine Levitæ, et Sacerdotes illi, qui, sub Parochorum autoritate desserviunt eorumdem ecclesiis, vel ad illas quoquo modo pertinent. Proximè hos ecclesiarum Rectores ibant, amplius quadringenti, stolis, in signum auctoritatis, insigniti, Clero ac Capitulo clarissimo et venerando Metropolitanæ Ecclesiæ claudente ordinem, in cuius, totiusque Tolosani Diceesis caput, te videlicet, venerande Antistes, populi omnis oculi reverenter intenti, benedictionem tuam avidè flagitabant. Et jām ante egressum nostrum, paratae à religiosissimo urbanissimo duce exercitūs Regis, Comite Partoneo, præstolabantur pro Basilicæ portis, tamquam tutelæ et honoris causa, equitum turmæ, atque musici legionum omnium, qui Crucem Domini anteirent, tum etiam pedites cohortes plurimæ, ut pompam, gravi, atque in religionis modestiam composito incessu, comitarentur, et subsequerentur. Et resonabant inter hæc longè aethera, elatis concentibus tot ministrorum Altissimi, Triadi Summæ canentium gloriam, atque Angelorum omnium et Sanctorum implorantium patrocinium; speciali verò affectu, cœlestem Tolosanum chorūm, urbis præsidium et decus, adprecantes; antecessores videlicet tuos, ô Pontifex, tuorumque Sacerdotum et fidelium, Honoratum, post Saturninum, Hilarium, Sylvium, Exuperium, Germerium, Ludovicum, Erembertum, Silvinum, Theodardum, Guillelmum, Raymundum, Bertrandum, Isarnum, Camellam, et alios, uti nempè, si tenet adhuc sollicitos amor nostri, caritasque urget, crescat favore eorum frugifero palmite Christi vinea, ab eis olim culta, surgat cœlo seminatum ab eis semen, prosperent, felicitent, dirigant adventum tuum et gressus, in semitis Domini. O diem lætissimam

atque sanctissimam , sempiternâ Tolosanorum memoriâ recolendam ! ô spectaculum Deo gratum et Angelis et hominibus, clarissimi Pontificis ab Saturnini sepulcro ad altare Stephani incessus , adeò solemini gratulatione , tûm bellicosus apparatus , ex unâ parte Helvetiorum militum , usque ad mortem fidelium , ex alterâ Gallorum , domitorum orbis terrarum ; simul gaudentium civium frequentia , Martiae symphoniae , graves ecclesiastici cantus , denique tot Rectorum Ecclesiarum, Antistitem suum comitantium conspectus !

Et voluissem equidem illâ ego horâ , venerande Archipræsul , incredulorum et infidelium , si qui aderant spectaculo , cultum divinitatis aspernantes , verbum Dei ministrosque respuentes , intima sensa penetrare , et audire contra solemnitates et instituta Christianæ legis querimonias . Et quando illi , ex tolerantia fortè facti intolerantissimi , nullam negligant antiquam verendam tot sæculorum fidem lædendi occasionem , adeò ut inter tantas erroris sectas , et opiniones quas vasto gremio suo continet Gallia , nulla fermè sit , eheu ! quæ scriptis , verbo , consiliis appetatur malevolorum , quam sancta hæc ac divina veritas , nihilominus status Religio nuncupata , quis molestè ferat eos propugnare testimonia et legem Domini , quibus divinitùs et humanitùs commissa est illorum custodia et defensio ? Censes namque , ô Antistes , indociles illos qui nuper prædicatorum verbi Dei , *nuntiorum perennium* Christi , Missionem , adeò inciviliter lacesebant , non acriùs stomachari nunc hâc octiduanâ recollectione Sacerdotum , triumphalique pompâ diei illius ? quorsum enim , ita insurrrant , clamorosæ istæ deambulationes ? Sive quid ad felicitatem Entis Supremi , non talia curantis , conferre possunt ? Quis autem est annus hic Sacerdotum in unam domum occultus congressus ? Anne ut ignavi in otio et gulâ dies aliquot hilares deducant , vel in commune inquieta consilia conferant ?

Et re verâ Deum humanis non augeri laudibus nos ultrò fatemur ; verùm ab illo , qui pater et creator noster sit , reverentiam et amorem nostrum contemni vel negligi denegamus . Cur enim hominem adeò studiosè ac fermè sigillatim formâasset , quem mox frigidus ac incuriosus despiceret et oblivisceretur ? Et quî fieri posset ut gratos mortales , et benevolos , et justos ergâ alteros ille velit , et jubeat , in se tantum ingratos et iniquos permittat ? Enimverò si oculos ad videndum mirè configuravit , (1) et aures com-

(1) Psalm. 93.

paginavit ad auditum , procul dubio videt ipse et audit; et quando amorem et intellectum homini concessit, profectò amari itidem et cognosci vult; et quanquam bonorum non egeat nostrorum , filialis reverentiæ et amoris mandatum dedit in se , quem nos semper egemus, et ubique.

Et quod ad illos difficiles attinet importunosque , qui congressus hos annuos Sacerdotum reprobant, utinam et ipsi nobiscum in utrolibet Seminario commorati essent , precibus et sacris exercitiis interfuerint, colloquiis communicassent , emptos in Levitarum juvenum utilitatem cibos degustassent, dormitoria et lectulos introspexissent , denique orationes doctissimas et opportunissimas Prædictoris , doctrinâ et virtute illustris , audivissent. Tùm demùm illi cognoscerent quis sit clericalis statûs scopus institutioque , quenam dignitas , quanta sanctissimi Parochorum ministerii munera, neque prædamnarent nos , quasi otii amore, vel ambitionis sugestione, tot venerabiles senes juvenesque , multi pedites, plerique modestissimis vecturis , longa et incommoda itinera , perpetua hieme , confidere suscepissent; id verò tantâ alacritate , diligentia , constantia , ut nonnulli , cùm initio hebdomadæ causâ legitimâ impediti fuissent ne discederent à suis Ecclesiis, profecti tandem , atque intineris ferè unius diei magnâ parte jam peractâ , vento et imbre ingravescentibus , ad domos coacti retrogradi , tamen luce posterâ , nec mitiori cœlo, sed per turbines pluviae , in optatum fratum cœtum , licet tardiūs , se receperunt. Nempè arcessimur à Superioribus non ad voluptates vel ignaviam ; sed ut spiritum renovemus vocationis nostræ ; ut exemplis, monitionibus , ad continentiam, humilitatem , contemptum mundi et divitiarum cohortemur ; ut magis ad misericordiam in pauperes, patientiam in peccatores , obsequium ad omnes, sanctificationem denique fidelium informemur.

Sed dùm ista cogito, procedit longius religiosa pompa, bipatentesque subit portas templi ; undè , etsi invitus , à gratuitis his conviciatoribus , ingratis , sed caris adhuc Dei et Ecclesiæ filiis, divellor; totamque attentionem meam converto in te , ô Præsul , domus Dei limina intrantem , et usque ad fastigiatum altare , universum agmen sacerdotale sequentem , per longum callem militum , medium inter immensam multitudinem. Et jam modestè sollicitus anteverterat primis paratissimus Orator , suggestumque concenderat, inde qui mysteria peragenda explicaret, tempus ordinem-

que regeret solemnitatis, motus actionesque singulorum, adjuvantibus locis suis magistris cæremoniarum, decorè dirigens; quid, quando, quo loco quisque agere debebat.

Et, primùm, dato universis signo adorationis, indumentis lætitiae Domini indutus, atqne ad immolandum Deo sacrificium laudis ab Oratore invitatus in nomine Trinitatis Sanctæ introiisti, ô Pontifex, ad altare Dei, ut tua nostraque vota Domino redderes in conspectu omnis populi ejus. Et positis genibus omnium, cernui simul Sacerdotes imaginem quamdam referebant Seniorum illorum, qui, juxtâ revelationem Joannis, (1) coronati, atque candidis vestimentis circumamicti, procidentes ante thronum Agni, adorabant viventem in sæcula sæculorum, orationes Sanctorum offerentes ei. Fovebant autem cunctorum silentium, maximamque reverentiam, inter sacrificium, lenes modulationes organi, pressi ac sacro silentio moderati sonus instrumentorum musicorum; usque dùm, post consecrationem Dominici Corporis, selecti præcentores, Clero concinnente, Davidicos canticos inciperent, mirabile Sacramentum amoris, et Communionem ipsam spectantes; quos per singulos versus, alternis vicibus, cum organo et militaribus symphoniis, cantabant. Hic autem, momento dandi SANCTA SANCTIS ab Oratore denunciato, manibus ipse tuis ANGELORUM ESCA NUTRIVISTI nos Sacerdotes tuos, ô PONTIFEX, ET PANEM DÉ CŒLO PRÆSTITISTI NOBIS, OMNE DELECTAMENTUM IN SE HABENTEM, ET OMNIS SAPORIS SUAVITATEM. Quâ cœnâ factâ, atque incruento sacrificio Agni consummato, dùm, præviâ cathechesi, memoratis vicibus, cantabatur psalmus *Conserua me Domine*, iterum, repetito ordine, modestissimo incessu, bini ad te ante altare sedentem, ascendimus, ut genibus provoluti, inter manus tuas, tibi, Deoque, te teste, toto animi affectu, repeteremus Sacerdotii vota. *Siquidem Dominus pars est hæreditatis nostræ et calicis nostri, et ipse restituet nobis cælestem hæreditatem.*

Et jam nihil solemnitati deerat, nisi ut, pro universo populo sancto, pro summo ejus capite Pontifice Romano, pro te Pastore nostro, pro Christianissimo Rege demùm, de more, et pro Regiâ familiâ Deo preces effunderemus, atque benedictionem tuam, in nomine omnipotentis

(1) Apocalip. c. 4 et 5.

Trinitatis , nobis , populoque impertires. Itaque Orator , postquam doctrinā summā , ac mirabili verborum vi , quasi superans sese , (quem tamen nunquam audimus quin statim in mentem veniant verba hæc librorum sacrorum : *Vox Domini in virtute ; vox Domini in magnificētia* ,) multa de Sacrificio augusto celebrato , deque Regali Sacerdotio omnium Christianorum disseruit , omnem populum , ac ipsos milites speciatim intuitus ; quippe hi et Christi corporis membra , sicut nos , sunt , et nobilissimam insuper Ecclesiæ portionem efficiunt , tanquam ad defensionem et tutelam Majestatis Regiæ et patriæ religionis destinati ; tandem universos ac singulos , ad statutas preces ritè ac affectuosè exolvendas , potenter excitavit ; orans et ipse à Patre summo Deoque , cuius misericordiæ non est numerus , ut , devotissimam sibi Regiam Borbonidorum domum , in Christianissimo populo per tot sæcula regnantem tanto bono Ecclesiæ , tantâ gloriâ Gallicæ Gentis , benignè respiceret , foveret , seryaret ; et quando jam , fermè non opinantibus , enixè tamen potentibus , concesisset tam pretiosum protectionis pignus , spem posteritatis desideratissimæ , infantulum Henricum , Dei donum , mœstissimæ ac fortissimæ , ultra sexum et ætatem Regiæ viduæ , ac parentis optimi , execribili parricidio interempti , filium , pergit atque absolvat beneficium suum : suscipiat usque , speciali providentiâ infantem , sitque illius custos , dux et lux ; præveniat matrem in benedictionibus dulcedinis , familiamque totam , cum sapientissimo , ac nobis omnibusque carissimo Rege , Patriæ servatore ac Parente , conservet , defendat , sanctificet. Quibus verbis usque ad lacrymas commoti , iterum postrati ante tabernaculum præsentis Dei , piis votis misericordias ejus imploravimus , pro tenero hoc Moyse , mirabiliter ex alto malorum gurgite liberato ; pro isto Joas , semine verè regali , quod Deus , jam fortè placatus , nobis reliquit. *Et utinam præparetur in misericordiâ solium ejus , et imperet sicut Salomon in diebus pacis , impletus quasi flumen sapientiæ. Et subjiciat illi Deus omnes hostes , et paret sanctitatem in sempiternum. Et super thronum Ludovicorum sedeat ; super solium Borbonidorum patrum ejus , ut confirmet illud et corroboret in judicio , et in justitiâ.* (1)

Itaque supplicatione absolutâ , et sanctâ benedictione Ecclesiæ omni ge-

(1) Isaiæ. c. 9 , 17.

nusflexæ concessâ , post incoepturn à te altâ voce Ambrosianum hymnum , de templo , inclinato jam in postmeridianum tempus die , eodem quo priùs ordine , pompa exivit , concinnentibus Sacerdotibus ter Sanctum Deum , cantibus æmulis , usque ad Archiepiscopale Palatium , in cuius platea , militibus ac nobis postremò benedictis , è conspectu nostro egressus , in aedes jam ascendisti tuas , ut inde , ô Pontifex , veluti ex speculâ sollicitè excubes super castra domus Israel.

Tunc autem , venerabili Capitulo reverso in Metropolitanum Tem- plum , è militaribus turmis sejuncti nos , et per vicos magnæ urbis canen- tes psalmum *Exitus Israël* , et post illud , prò cumulo et coronide solem- nitatis , laudes Almæ Matris Dei , Ecclesiam petivimus magni Seminarii , tribus Vicariis Generalibus ordinem præsidentibus . Ibi ultimò ab Oratore sapientissimo , vehementi animi commotione , cunctis vale dicto , et ipse yeniam precatus quòd magistros et patres suos ausus fuisset edocere , depre- cationes etiam pro ejus salute addidimus , alioqui , inefficaces , tanto viro grates dignè referre ; et sic cœtus omnis à Vicariis Generalibus dimis- sus est.

Itaque reversi sunt pastores Ecclesiarum tuarum , ô Archiepiscope ve- nerande ; laudantes ; quod dicebam , et glorificantes Deum in omnibus quæ audierant , et viderant , sicut dictum fuerat ad illos . Reversi sunt , inquam , alacriores et promptiores ad labores munericis , ad ovilia sua ; ubi jam et vox pauperum , et desideria ægrotantium , et peccatorum spes , et afflictorum tribulationes , et sanctorum animarum vota , et ipsa publica utilitas populorum appellabat eos .

Tu verò , ô Antistes sancte , etiam perfice precibus apud cœlestem Pon- tificem , quod optasti , quodque maximè ingrediens recessum sanctum octiduum , iniensque Apostolatum , concipiisti ; ut te ipse dirigat et ser- vet , Clerum tuum sanctificet , Sacerdotes tuos induat justitiâ , et Pastores efficiat nos juxtâ cor suum ; vigilantes vigiles , qui civitatem Dei custodia- mus , fideles ministros , qui mensuram superfluentem tritici Domini , hoc est doctrinæ , abundè populis dispensemus , inscientiam Dei debellemus , funesta dogmata incredulitatis et suicidiorum dissipemus , animos homi- num in antiqui ac legitimi regiminis amore conservemus , denique socie- tatem , populum Christianum , bonum , justum , Deo , Regi , hominibusque

placentem formemus. Etenim acceptae erunt ante Deum clementissimum mundæ orationes tuæ , sicuti jam valent , apud fideles Ecclesiæ Tolosanæ omnis , virtutum tuarum exempla , et præsentia ; et recordatio adventûs tui. Quapropter verba usurpamus scriptoris sancti , (1) de antecessore tuo Eremberto loquentis ; *Et Deum benedicimus , qui visitavit plebem suam tanti Pontificis ministerio ; simul à te petentes , ut nobis de spiritu tuo , præsens tamen , et diù , Elias alter , impertias , cuius in virtute venisti.*

(1) S. Bernard. lib. 2 in S. Malach.

